

## **Frat. Jacobus Ingendaay (1818-1855)**

*Fr. Iacobus Ingendaaij*, qui item in sequenti relatione Patris Heilig tantam partem habet, natus est 2.XI.1818 in Goch Rhenaniae Inferioris, dioecesis Monasterien. (Münster). Inter candidatos coadiutores Wittemii assumptus 4.VIII.1842, sacra veste ibidem induitur eodem die quo praedictus Fr. Iosephus, i.e. 19.III.1844. Alterum suum tirocinium Trudonopoli perfecit ibique vota nuncupavit 25.III.1847. Fere semper infirma utens valetudine, magnos suos dolores magna tolerabat patientia, in omni re perfecte subiectus divinae voluntati. Necrologium eius Wittemiense (3) insuper extollit laudibus eius caritatem fraternam, modestiam, pacificam hilaritatem, studium orationis meditationisque; P. Heilig autem, eius Superior, praesertim laudat in eo cordis simplicitatem eumque hominem vere sanctum appellat. Omnes quocumque admirabantur eius tenerum amorem erga Matrem caelestem Mariam. Die 10.I.1855 Wittemii ultima sacramenta recepit et diuturno morbo plane consumptus, d. 4 Aprilis eiusdem anni, fer. IV Hebdomadae Sanctae, spiritum Creatori reddidit adeo tranquille, ut nosocomus id vix perciperet.

His praemissis exhibemus relationem Patris Heilig e Germanico in latinum conversam. Romae est apographum; autographum in archivo Vindobonensi esse dicitur.